

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Vaticinia,|| Siue|| Prophetiæ|| Abbatis|| Ioachimi,|| &||
Anselmi Episcopi|| Marsicani,||**

Joachim <von Fiore>

Venetiis, 1589

De rota statim post principium in primo folio, [...]

[urn:nbn:de:bsz:31-241469](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-241469)

DE ROTA STATIM POST
PRINCIPIVM IN PRIMO FOLIO,

versa facie, subiecta iudicium,
& declaratio.



HIERONYMVS Porrus solertissimus æris
incidendi artifex non tantum hoc præ-
stat: verum etiam ingenij acumine ad cu-
riosa peruestiganda admirabilis apud om-
nes, illius familiaritate videntes, habetur.
Hic rotam illam primum inspiciendam
prebuit, cumque, vnde arripuisset, percūctarer, subridēs, me
ad quosdam remisit, qui me ita circūduxerūt, vt nihil, aut
parum ab ijs exquirere potuerim. Etenim quidam annis se-
nex, mente verò puer, nescio, quid cœpit fabellæ referre, se
eam ab homine habuisse, qui vsque ad miraculum præsti-
gijs, & diuinatione valeret. Dumque principium, & exposi-
tionem rotæ requirerem, se hoc solummodò meminisse, in-
quiebat, illam in superiori parte à Solis, & Lunæ imagini-
bus ortus sui reuolutionem primā incipere, sic loquebatur
homuncio ille, & ea Pium Quartum Mediolanensem signifi-
cari, sequi in calice Pium Quintum, Draconem gladium
ore vomentem Gregorium XIII. exprimere, denique Leo-
ne ense anterioribus pedibus retinente, tresque sagittas
ore proijciente S. Xystum V. Iprodi: huiusmodique ordinē
in infinitum vsque seruari, & numquam vsque ad sæculi fi-
nem rotam fisti. At quod magis mirandum, stupendumq;
esset, literas capitales Pontificum, vel nomina, vel cogno-
mina, vel prænomena indicare, quod facile videre esset in
AA. NV. VB. FX. pluraque alia suis nugis interferebat capu-
laris senex, & ferale silicernium. Ipse rem altius inspectans;
quid in ea lateat, facilius deregam. Videtur mihi, quicunq;

L huius

DECLARATIO ROTÆ.

huius rotæ fabricator fuit, solerter, aut ex ipsis Ioachimi imaginibus, & Anselmi, aut saltem ex vaticinijs B. Zodichi Palmerij, ipsius rota expressis, suas imagines confinxisse, & litteras de suo addidisse, quæ ramen, nec etiam omni ex parte suis commentis deseruiunt, cum non possint ita accommodari, vt in quibusdam non ridendæ sint, & in alijs explodendæ. In duobus Pij certè risu excipiendæ, & in alijs duobus explodi sibilis debent. Vates namque haud contemnendus esset is, si primis literis Vgonem Boncompagnum, & Fratrem Fælicem cognouisset: de his dixi: cum de Pij A. M. in primo, & M. V. in secundo patiantur, nescio, quid magis ineptum. Omittens interea stultitiam durationis vsque ad sæculi finem ijsdem literis semper significantibus. Non interponemus tamen iudicium nostrum ita, vt reliquorum nostro metiri velimus. Nos eam proposuimus, & Porri desiderium, & artem laudauimus, meditentur in ea curiosi, videantque, siquid in ea occultetur, quod ipsorum palato satisfaciatur. Dicimus nos, si vera sit, admiratione, stupore, & mentis commotione digna, & plena de futuro Pontifice expectanda, pluresque annos præsentis dandos; ipse nempe uiam ante eum præparaturus est rotæ huius significatione, & sic omnium, quotquot sunt, quotque fuerunt, prædictiones ætate superaturus, quippe qui nonagesimum quintum huiusce Chiliadis annum constituens, & ulterius tendens, nobis magna, & incredibilia proponet. Hinc aliquid curiosi abstruorum scrutatores eruite, & in uestrum usum conuertite; nam mihi plura ostendere, palamque in lucem dare minime licet. Solis hæc amicis seruamus, & ijs uerè sinceris, & Christianæ religionis, sanctæque Romanæ Ecclesiæ amantibus, memores Euangelici dicti. Ne proijciatis margaritas uestras ante porcos.

ORA-